



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DC.LXXX. S. P. Benedicti. M.CC.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

lumē unque ipse latere cuperet, ex imio virtuti fulgore proderetur. Asservantur usque hodie pro sacrarum reliquiarum thesauro, vestimenta ejus Brixiae in professionis ejusdem Canobio, in quo, totaque Urbe, & provincia celebris admodum ejus est memoria. Cujus vitā & gesta prolixius, & acuratius descripta necdum accipimus, & inhiantius inspectamus.

Claudit hunc annum, imo opus hoc **BENEDICTI REDIVIVI** universum, & felicissimē coronat Congregationis tra Anglicanae, sive potius Angelicae, verē generosissima, & vitā pro asserenda fide catholica, & propaganda, vitā inquam generosissimē, cū omni sanguine prodiga, tribus prodigiosa generositatis alumnis, ac Professionis Apostolicae Heroibus, pro tanta pietate Martyrij laureola donatis, & Archiparenti suo **BENEDICTO** in perenni gloria adjunctis, quorum primus est Frater **Thomas Pikerim** Laicus ex eorum Numero, quos vulgō **Conversos** vocamus: Hic post capitalem datam sententiam, in carcere defunctus est. Hunc non multo post sequutus est **R. P. Placidus Adelheim**, Reginae a sacrificijs, in odium Reginae, & Unicae salvantis fidei ob celebratum Romano more missae sacrificium, publicē interfectus. Tertium locum obtinet **P. Laurentius Appleton**, Catholicae Religionis odio (etsi conspirationis in Regem falsissimē confictis titulo & specie) extremis supplicijs addictus.

Atque utinam Regno huic infandis Haeresum sectis, & infamis ad omnem aeternitatem Parricidij Regij duplicis, innumerabiliumque cadum reo, innocentissimis, & ultroneis pro Regis, & patriae salute profusi generosissimi sanguinis oblatio apud optimum numen in holocaustum proficiat, Deusque propitiatus gentem olim felicissimam, nunc misererrimā, & mutuis cadibus effertam, ad Unitatem deserat pridem, a vitā fidei gratiosissimē revocare dignetur. Quorum gloriosa Certamina, innumeros alios, in fidei Constantia animarunt, plurimos ad saniora consilia traxerunt, & sanguis, fumusque incensorum viscera, ille terrā beatificans, hic gloriosissimo suavitate odore caelum universum recreans, immerito licet Regno innumeris

sectis praegnantissimo, ideoque omni Confusione, & discordia, plenissimo gratiam conciliare apud Altissimum nunquam intermittit.

*IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.LXXX.  
S. P. Benedicti. M. C. C.*

**T**Alia, qualia hucusque retulimus, & vidimus, & his multo plura, ac majora ad praesentem usque annum. Italia, Gallia, Hispania, Anglia, & Asperrima caelo Polonia, nec multo moderatior Germania nostra **BENEDICTI REDIVIVI** protulit exempla, & miracula, cujus postremae quotquot ferē intueberis canobia, fatearis necesse est, digna admiratione, adeo exulta non solum aedificijs, sed viris, non minus religione, quam eruditione spectatissimis, pia emulatione, laudabili concertatione inter se contendentibus, utri alteros, cultus divini Magnificentia, regulari observantia, & litterarum, aliorumque studiorum experientia, & scientia antevertant, quo fit, ut a multis saeculis inter se comparata, illa etiam anteriora tempore, multis tamē & splendoris, & gloriae titulis post se relinquunt atque in multis Sanctissimis Patriarcha planē **REDIVIVUS**, in pluribus reviviscens, & quotidie in magna adolescens gratiam, nemini non appareat, dummodo tam sanctos, quam religiosos conatus, tam atrociam, atque diuturna inter Christianos principes bella, non susterent, & inturbarent. Et revera si, uti hucusque plerosque praelatorum, & Ascetarum mortuos, jamque immortales celebravimus, superstitibus modo celebrare satageremus, excurreret prorsus in immensum opus, etsi dignissimum aeternitate, Virorum tamen quanto meritis auctiorum, tanto majorum animi demissione, oculis, auribus, animo intolerabile, quorum sanctissimo, & reverendissimo rubori parcimus, ne quotum benedictionem enixē rogamus, indignationem incurramus: monemustamē, nostri aemulos studij, & intento in tales digito, clandestinē innuimus, facere cum tempore, quod nos inviti praetermittimus, & Numini commendamus, veriti etiam, ne infirmioribus scandalo simus, & ne blandiri cupiam, & favorem occupari videamur. Dum haec claud-

T t

remus,

*Germania  
Canobiorum  
splendor.*

*Verē Bene-  
dictus Redi-  
vivus.*

*Praelato-  
rum lae-  
des.*

*Minimē  
offendendis.*

remus, obtulit gestiens toto effundi corpore plurium toto Regno Apostolico labori insudantium generosissimus sanguis novam scribendi occasionē, maximè quinq; ejusdē professionis, & voti Monachorum, in dies & horas singulorū in carcere extremam sententiam inhiantissimè expectantium in Anglia: ingenti autem numero superant sacri Heroes, & verè voluntarij, non tam pugiles Christi, quàm Martyres diversarum toto orbe Congregationum in BENEDICTI REDIVIVI amplificationem collimantium, longoque Martyrio, jugi corporum mortificatione sese sponte excruciantium, & Crucifixo Jesu suo sese configentium, cujusmodi nemo non miratur in sanctissima, & amplissima Congregatione S. Mauri in Gallia, ipsoque verè Regio S. Dionysij Archisterio, uti ab oculatis, expertissimis, ipsiq; religiosissimis summæque auctoritatis testibus habemus compertissimum. Et

quod mirandum magis, prodit se tanta Generositas, in tenerimis, etiam Regij, & Ducalis sanguinis Virgunculis, & in omni genere deliciarum educatis puellis, à Venerabili Sacramento, Calvaria, Pœnitentia, &c. cognominatis; ut hæc audiendo, nedum contuendo, nemo non sacro affici horrore debeat, & de sua quoque excitatione, ne dicam resuscitatione serio cogitare, & cum Augustino in eadem, verba erumpere: *Potuerunt isti & ista, &c.* Quorum, certè prodigiosa penè vita in ipsis quoque universi Regni, ipsiusque aulæ Regiæ oculis quotidie exemplis, atq; exercitijs, haud dubitamus excutiendū à tepentibus temporem, à languentibus languorem, & ferventissimā tantorum advocatorum intercessione, & informatione excitandum Spiritum, cui B. Pater noster BENEDICTUS servivit, ut eodem omnes repleti, studeamus amare quod amavit, & opere exercere, quod docuit.

## BENEDICTUS DEUS

JN BENEDICTA ORDINIS MATRE

MATRE VIRGINE, ET BENEDICTO

PATRE IN ÆTERNUM,

Amen.



## INDEX